



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illvstrivm Virorvm Poemata**

**Cesarini, Virginio**

**Antverpiae, 1662**

Ad Natalem Rondinivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7990**

*Cui paret æther, inferiq̄s, tellusq̄s,  
Tantum requirit. Impios canis pregnans,  
Parræq̄s cantus, montibusq̄s decurrens  
Lupa Lanuvinis, imbriumq̄s diuina  
Auis imminentium terreat: quid huic obstet,  
Iterq̄s rumpat, si, quod unice poscit,  
Cursus precetur prosperos ALEXANDER.*

A D NATALEM  
R O N D I N I N V M.

**Q**uod utrique nostrum commodavit argentum  
Ad vestiendum Græculum Favoritus,  
Cur Rondinine debuisse me solum  
Reglutinare iudicas, minus rectè  
In me retorquens negligentia culpam?  
Debere nulli me libentiùs nouit  
Idem ille, semper qui mihi Favoritus  
Facit benignè, mutua voluntatis  
Fideiq̄s certus usquequaque constantis.  
Ne creditoris ergò debitor partes  
Agas, amice, non rogatus obtestor;  
Quin ipse cures, ut bonum sies nomen,  
Fidemq̄s semper amulere Germanam.

IANI.

## IANICVLVS

De Villâ Hieronymi Farnesij, S.R.E.  
Cardinalis, sitâ ad portam  
Aureliam.

**Q**uamuis Ianiculum vocent, nec inter  
Septem mi iuga dent locum Quirites,  
Clarus non ideò minùs sepulcro  
Et Iani patris & Numæ, propinquum  
Tollo nubibus arduis cacumen.  
Vel Farnesia villa, quam remoti  
Prospectus maris, & salubre calam,  
Et felix situs, & loci vetustas,  
Et vultus domini beat, decusq;  
Ingens Patribus additi Latinis,  
Tantos dat mihi spiritus, ut ipsa  
Tali munere letus astra summo  
Tangam vertice, Romulosq; colles  
Nostris despiciam iugis minores,  
Et rerum dominam superbus Urbem.

AD